Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 963
Quelle:
Copyright:

Capp. ſubinde ab Editis variat; quin et ordo; nam, quae in Edit. ſunt *Capita* IV. et V. nobis invertuntur, et recte quidem, cum enim C. III. et V. agat de Chriſti Divinitate, IV. vero de tota Trinitate, propter materiae nexum C. V. huic praeponendum videtur. C. praeterea III. longius excurrit, quam in Edit. quem Excurſum hic adſcribam: *Sed hinc iſti chriſtum non putant eſſe deum eo quod in monte ſynai audierunt uocem dei intonantis. Audi inquit iſrahel dominus deus tuus deus unus eſt. et iterum ego deus et praeter me non eſt alius. et illud ego ſum dominus. et non mutor. gloriam meam alteri non dabo. Dum ergo hoc legunt perfidiae errore caecati chriſtum deum eſſe non credunt. Ergo agnoſcant proinde illis eo tempore hæc praedicata fuiſſe. Ne forte ab unitate fidei recedentes in multos fictorum deos tranſirent. atque idola gentilitatis colerent. Quod et fecerunt. Cum ſpecialiter chriſtum teſtimonia prophetarum reputant eſſe deum.* Qui haec perpendit, atque obſervat, de ſola hactenus Chriſti Divinitate agi, facile in eam ibit ſententiam, Particulam illam de Divinitate S. Spiritus: *Supereſt de Spiritu ſancto* &c. quae in Edit. C. III. claudit, rejiciendam eſſe poſt totam de Chriſti Divinitate tractationem, atque adeo ad finem illius C. quod in Edit. V. in *Cod.* vero meliore jure IV. cenſetur. Verum confuſioni huic ſola plurium vetuſtorum *Codd.* collatio ex integro mederi poterit. Ceterum nec, quae diverſimode legit *Noſter*, negligenda. Ita C. I. *nobis obſtruſi* pro *nouis abſtruſi. Quo pater quo genitor* pro *quo pater genuit. Nec ullatenus* pro *nec nullatenus. Adſentio, tamen ut Chriſtus — dicatur* pro *nam et Chriſtus — dicitur* &c. *Librum* II. praeit *Elenchus Capp.* XXVII. computata ſimul, quae in Edit. dicitur, *Recapitulatione Operis.* Praefamen ad Sororem incipit absque titulo: *Quadam ex parte domini et ſaluatoris noſtri natiuitatem paſſionem reſurrectionem cælique aſcenſum explicui* &c. Atque hic cum *Noſtro* legi malim *populi noui uel teſtamenti* quam *populi noui uel ueteris Teſtamenti.* Capitum diſtributio hic ab Edit. non abit; abit vero non raro expreſſio ſententiae. Ita C. I. habetur: *reliqua contueantur* pro *contineantur. Judaei quidam* pro *qui dum. Talia pertulit* pro *protulit.* &c. Lacinia de *Formulis Spiritualis intelligentiae* in Edit. perperam Operis fini adſuta a *Codice* merito abeſt, qui recte finit: *in quibus habitat in aeternum.* Quae omnia ſuadent, futuro *Iſidori* Soſpitatori neque hunc negligendum eſſe, neque Cod. ſequentem, quo idem Opus indicatur.

II. *fol.* 83. *Incipit de inde* (de Fide?) *catholica athanaſi.* Non exhaurit haec Inſcriptio totum, quod ſequitur; Primo enim habetur *Symbolum Nicaeni Concilii* cum hoc Praeloquio: *Haec eſt fides catholica, quam expoſuerunt patres noſtri, Primum quidem aduerſus arrium blaſphemantem et dicen-*